



# Disputatio medica inauguralis de distributione chyli

<https://hdl.handle.net/1874/345199>

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

DISTRIBUTIONE CHYLI.

QUAM  
FAVENTE TRI-UNO NUMINE,

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos, & Institut. Med. Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, ac Nobilissima  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus, ac Privilegiis ritè,  
ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subijcit*

JOHANNES DE SWARDT, Hornanus West-Fr.

*Ad diem 27. Januarii, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ioc XCII.

*Spectatissimo ac Gravissimo VIRO,*

D. D. ANTHONIO VERLAEN,  
Apud Hornanos Scabino æquissimo, cognato cha-  
rissimo plurimò colendo.

*Clarissimo Expertissimoque VIRO,*

D. D. MARTINO ELEMAN,  
M. D. quondam apud Hornanos in West-Frisiâ nunc  
vero apud Amstelredamenses Practico Felicissimo,  
Studiorum meorum Fautori maximo, dum spiri-  
tus hos regat artus honorando.

NEC NON

*Celeberrimo & Vigilantissimo VIRO,*

D. D. JOANNI ten TYE,  
Gymnasii Latini, quod Hornæ in West-Frisiâ est  
Præceptori Literatissimo de Studiis meis plurimum  
merito.

UT ET

D. ISRAELI SUAVE,  
Chirurgo Peritissimo ac Promptissimo, juxta ac  
amico meo candidissimo.

*Hanc Inauguralem Disputationem*

*scribo,*  
JOHANNES de SWARDT.

DISPUTATIO MEDICA

IN A U G U R A L I S

DE

DISTRIBUTIONE CHYLI.

THESIS I.



Ongum non minusquam tædiosum foret prolixius hic repetere, quæ de chylo ipsiusque distributione tradidere Veteres, attamen cum tam in sanitate præsentis conservandâ quam amissâ restituendâ sit ratio habenda ventriculi & intestinorum, ut nempe ipsa chylificatio in ventriculo ritè & ex voto peragatur, atque digestio, & solutio in intestinis debitâ cum

evacuacione excrementorum continuo promoveatur, facile colligitur quam necessaria ac perutilis unicuique Medico sit chylificationis cognitio, in cuius gratiam nunc pauca de eadem dicere lubet.

I I.

Nemini Paradoxon visurum putem, si ad mentem Neoterico- rum Chylificationem mechanicè explicari posse, dixero.

I I I.

Sunt enim in acie siti primo dentes incisores dicti, qui assumpta ac præsertim solida, utpote majori comminutione ac confractione indigentia, incidunt, molares eadem tanquam in molâ conterunt, ductus salivales fermentum inter masticandum continuè suppeditant, lingua miscet, ejusdem muscoli jamjam masticata attollunt, ac pergulam in œsophagum viam angustio- rem propellunt.

I V.

Tantum autem ab est salivam humorem inutilem ac excre-  
men-

#### 4 DISPUTATIO MEDICA

mentitium esse, sed potius primum naturæ menstruum in hoc humano laboratio audire, & auctor primæ istius dissolutionis existere.

##### V.

Eam non inspidam esse, sed quam plures particulas salinas acidasque continere, ab effectu facile probatu: ipsa enim saliva, particulis suis salino volatilibus ac acidis incidendo discutiendo & abstergendo sanat impetiginem vulnuscule cutanea, figit mercurium, ac denique farinam fermentari efficit, hinc pulmentum matris salivâ imprægnatum infanti tenellulo admodum prodest.

##### VI.

Ipsa etiam masticatio usque adeo necessaria est, ut hæc omiffa, alimenta vix in ventriculo extra verti possint, nam decem boli benè masticati, & salivali menstruo humectati atque soluti felicius in ventriculo dissolvuntur, quam unus non masticatus & voraciter deglutitus; hinc ortum est quod voraces & qui quasi in fugâ primam hanc solutionem peragunt, tot morbis sint obnoxii, cum cibus vix semel contritus difficillimè subigatur in ventriculo, & in pastam admodum viscidam plurium morborum matrem abeat: unde etiam subinde fermentum ventriculi acre fit atque corrosivum, vel augetur nimium, vel aboletur, vel imminuitur, vel depravatur ut in anorexiâ, fame canina, vomitu, dysorexiâ & similibus, quarum causas symptomata, & curationes postea brevibus dicemus.

##### VII.

Hæc peractâ solutione vel comminutione, protruduntur alimenta per viam angustiorem (orificium superius) in ventriculi cavitatem, multis nervulis ab octavo parium oriundis obfitum, & priscis cor dictum Recentioribus vero præcordia nuncupatum, quâ excepta incipiunt ulterius dissolvi variis ad hoc negotium concurrentibus dissolutionis & sic dictæ fermentationis causis: inter quas diversitas particularum cibos constituentium, ac earundem figuræ consistentiæ, motus & magnitudinis, nec non pororum & superficierum mutationes haud postremum obtinent locum.

## VIII.

Principalem causam efficientem ut omnium, ita & hujus fermentationis dicitur esse æther sive materia subtilissima omnium corporum poros apta nunc librè nunc vero impedite pervadere, quâ plurimæ minutissimæ ciborum assumptorum particulae afficiuntur & in motum rapiuntur, earumque comminuendi, poros angustos dilatandi, motum intestinum promovendi non parum augent, & iisdem involuta majori cum impetu parietes pororum in ciborum particulis existentium perfringat, non secus ac aqua fragmentis glaciei referta, facilius pontes diruit & aggeres perumpit, quam si sola in eos vehatur: sic etiam hæc materia subtilissima multis particulis scindentibus & pungentibus conjuncta pororum latera dirumpit ac diffringit.

## IX.

Adjuvant vapores seu corpuscula rarefacta à vicinis partibus hepate puta & liene, aliisque visceribus transmissa, nam hi ventriculi poros intro inspicientes ingrediuntur, & jam in motu existentia aliorum fluidorum occurrentium motum non parum augent.

## X.

Symbolum confert saliva deglutita, lympa gastrica à glandulis stomachalibus inventriculi cavum effusa & in ejusdem plis hærens, aliaque fluida assumpta, utpote quæ citius quam corpora solidiora in motum abripiuntur ut non male vulgus dicat, *omnem concoctionem fieri in humido.*

## XI.

Præviâ hæc fermentatione partes ciborum centrales extraveruntur, seu à centro totius massæ jam dissolvendæ versus circumferentiam detruduntur, plus minusve pro ratione molis accipiunt superficies, hinc alimenta aliam consistentiam, alium odorem & saporem acquirunt, quam in primâ solutione in ore habebant. fluida magis atque vaporosa redduntur, & ad majorem rarefactionem alibi subeundam magis magisque evolvuntur.

## XII.

De verâ figurâ ventriculi non dicam, nisi quod in se consideratus non secus accrumena se habeat, quique structurâ spa-

## 6 DISPUTATIO MEDICA

tium vicissim largiendo & constringendo, fermentumque ex sanguine suppeditando, chylificationis negotium promouet; nequaquam vero specifico quodam calore alimenta conquit, prout id veteribus quidem visum fuit, cum tales facultates inexplicabiles non admittamus, quoniam præter nomen nil nisi magnum inane dicunt. Et profecto insitæ illæ facultates, concoctrix, retentrix, expultrix attractrix commenta sunt.

### X I I I.

Fermentum ventriculi dicimus vaporosum quoddam mixtum, ex omni generis partibus sanguinis, utpote acidis, salis, paucis oleosis, aquosis, terrestribus &c. nec non cibi reliquiis.

### X I V.

O pertet semper ad sanguinem respicere quoties quis de imbecillitate ventriculi conqueratur, nam si sanguis constet particulis modo dictis, optime inter se unitis, bonam quoque generabit in stomachalibus glandulis lympham sin vero turbatus fuerit in mixtione seu temperie, nullum succum fermentum suppeditabit ventriculo, vel si ad huc aliquem deponet liquorem, ille tamen inidoneus erit atque fixum nimis, vel non factis actuosum, cujus vitioso caractere ipse chylus postmodum contaminatur: hæc enim semper redeunt in circulum, sequere motuo vel conservant vel destruunt: *Qualis chylus talis sanguis, & qualis sanguis talis liquor gastricus, qualis liquor gastricus talis iterum chylus.*

### X V.

Fermentum hoc instatu naturali valde temperatum est, ita tamen ut pro subjectorum varietate nunc acidæ nunc salinæ plus vel minus volatiles prædominentur partes, hinc est, quare quod huic sæpius nocet alteri prodest & quod multi melius ferant atque bene digerant cibos duriores quam molliores, cum è contra alii non nisi humidos & molles ferre possint.

### X V I.

Peractâ hæc assumptorum attenuatione & dissolutione, chylus è constrictissimo spatio piloro dicto ope ventriculi motus peristaltici in angustiorem propellitur intestinorum fistulam ventriculo contiguam, ac duodenum nuncupatum, ibidemque bili per

per ductum cholidochium à vesicula fellea effusa, succoque pancreatico per ejusdem nominis ductum commiscetur: ac ulteriorem particularum suarum rarefactionem & dissolutionem vi duorum istorum liquorum sustinet quo ipso illæ particulae quæ lubricæ magis & fluidæ sunt ad latera intestinorum evertuntur & per motum continuo repetitum eorundem peristalticum in interstitiis membranæ interioris filtrantur, vasisque lacteis imprimuntur, nec non in iisdem protruduntur, subsequenter nimirum aliis atque aliis in chylum puriorem tenuioremque redactis ac redigendis, quæ vero crassiores terrestriores magis & fixæ motuique ineptiores sunt, ad crassa deperant intestina & deorsum versus anum sensim premuntur tandemque qua data oportunitate corpori excernuntur, quem descensum non minus quam ad latera progressum promovet reciprocus diaphragmatis & musculorum abdominis motus, adjuvante quoque motu intestinis proprio & peristaltico.

XVI.

Sic jam denique chylus ex angusto intestinali canali per exilia vascula (lactea dicta) postquam per Asellii pancreas filtratus & specialibus canaliculis chyloprofluente in servientibus receptus est in amplum chyli exspectaculum (cisternam chylifram) ductum, & ex hoc cum limpha eo refluente magis dilutus per angustioris canalem ductum thoracicum appellatum in axillari venâ sinistra sanguine refluente mixtus, ad dextrum cordis thalamum indeque per pulmones postquam viscidiores quasdam particulas in eorum cellulis reliquerit & aliquantum aëris motu inservientis susceperit per venam pulmonalem in sinistram cordis thalamum transfertur unde cum sanguine arterioso per totum corpus quaquaversum dispergitur.

XVII.

Per spectis itaque his in statu naturali, videre quoque si non omnia, saltem aliqua in præter naturali, restat ut duo hæc contraria juxta seposita magis elucellere possent, & ut brevitati temporis succurrat ad ea me pro pero quæ spectant fermentum ventriculi in statu præternaturali, missam faciens læsionem ipsius ventriculi nec non aliarum partium vicinarum, ut & motus ejusdem



### 8 DISPUTATIO MEDICA

dem peristaltici, motusque respirationis, qui plurimum hic valet.

#### XIX.

Fermentum vero variis lædi potest modis, nimirum vel augetur ut in Boulimo & fame caminâ, vel abolitur veluti in astitiâ seu appetu prostrato & fastidio vomituque vel diminuitur ut in appetentia & fermenti ventriculi debilitate, vel depravatur quemadmodum fit inpicâ & malaciâ, ubi cibi quidem aspetuntur sed non tali modo uti oportet.

#### XX.

Has lesiones dupliciter considerari posse censemus nam auctum & depravatum fermentum, ut & abolitum ac diminutum idem fere significant.

#### XXI.

Fames aucta in genere quidem vel à causis externis vel internis producitur: internis ut v. g. à salivâ, fermento acri humore pancreatico, tertio ab halitibus vaporibusque spirituosioribus &c: Externis ut exempli gratia, ab aëre & quidem maxime sicco, ab inediâ aliquali ut nostratibus in proverbio *honger en spaart geen hooft* / vel ab assumptis tam medicamentis quam alimentis & conditis, uti à zinzibere condito à corticibus arantiorum & similibus.

#### XXII.

Fames verò abolita sæpissime originem trahit vel ex defectu fermenti, vel ab eisdem corruptione & inefficiâ uti fit dum ei conjungitur humor crassus viscidus lentus & tenax, vel quandoque ob ventriculi malam, dispositionem.

Fermentum autem abesse poterit variis de causis, imprimis tamen ob defectum anonæ, secundo ob enormem vomitum, aut choleram morbum, vel diarrhæam, insuper fermentum corrumpi potest vel à salivâ vel sanguine similibusque aliis uti modo dictum. Denique orificium ventriculi causæ famis abolitæ existit, quando glutinosâ lentoque à tenaci humore tanquam mucò adhærente oblinitur, ut etiam quando occalluit aut induruit, hisce adjungi potest obstructio vel compressio nervorum, quibus jure annumerantur sex res nonnaturales &c.

## X X I I I.

De symptomatibus non multum dicam, cum hæc unicuique sat superque nota arbitror interea tamen primum quidem locum videtur obtinere mihi cardialgia, eamque sæpe consequens syncope, & ab assumptis prægravatio, ut & quandoque vomitus enormes, cholera morbus &c. Notandum de super quod Anorexia non minores prælagiat in œconomiâ animali turbas, si enim in febrium acutarum declinatione Anorexia superveniat, vel appetitus antea prostratus non redeat novam instare calamitatem sæpius protenditur, tutior est in febribus intermittentibus, sed peior in dysenteris.

## X X I V.

Curatio famis auctæ consistit potissimum in fermenti acris ac acidi temperatione, quod consequi poteris exhibendo talia quæ succum illum acidum ac aërem temperant ac infringunt ut & emendant ejusque augmentum prævenire valent, qualia in gr. sunt terrea ac combibentia uti corallia oculi cancri, creta, lapis hematites, simili modo fermentum ventriculi auctum obtundere valent pingua & oleosa ut & aquea quævis copiosius ordinario sumpta, his jam prædictis famis auctæ, causis potissimum ablatis facili negotio fames illa curabitur & eum in finem sumi posset hic aut similis pulvis.

℞. *Cornell. rubr.*

*Corn. C. nsti & preparat.*

*Ocul. Cancr. Pulverat.*

*Creta alb. an. ℥j.*

*Sacchar. alb. ℥j.*

*M. Fiat Pulvis in sex partes aequales dividendus.*

Cupienti libentius Mixturam hæc aut similis propinari posset:

℞. *Aq. Melis:*

*Borag. an. ℥i℥.*

*Confect. Hyacinth. ℥j.*

*Land. Opiat. gr. j.*

B

*Ocul.*

10 DISPUTATIO MEDICA

*Ocul. Cancr. Pulverat.*

*Corn. C. usq; & preparat. an. ℥j.*

*Syrp. Violar. ℥ij.*

*F. Mixtura.*

In diæta profunt cibi difficilioris concoctionis id est tales qui moram seu stagnationem in ventriculo facere possunt: fugiantur animi pathemata: bibat æger subinde celebrem potum thee fruatur potius quiete quam magnâ exagitatione corporis & similibus.

X X V.

Curatio vero abolitæ famis à contrario fiat, nempe restaurando & corrigendo fermentum ventriculi. Quod optimè fit per volatiantia &c. qualia sunt primo blandiora acida fermentum coctes instar acuantia: sic v. g. sp. salis alkalifatus, sp. nitri dulcificatus, tart. vitriolat. secundo amara v. g. essentia absinthii centaury &c. tertio salina ut omnia ex tartaro omnia ex sale armoniaco, quarto balsamica oleosa, essentia cinnamoni elix propriæ: sal volatile oleosum quodvis: sp. c. c. succinat olea omnia destillata, ad unam vel alteram gr. sumpta, juscula vitulina, vervecina, decoctum gallorum &c. potus coffee moderatus:

X X V I.

Ad fermentum ventriculi enervatum restaurandum præscribatur hæc aut similis Mixtura:

℞. *Aq. Fanic.*

*Menth. an. ℥ij.*

*Sp. Carm. Sylv. ℥ss.*

*Elix. propriæ. Paracel. ℥ij.*

*Ol. Cortic. Arant. gutt. v.*

*Syrp. menth. ℥ss.*

*F. Mixtura.*

ut & hæc:

℞. *Aq. Fan.*

*Beton. an. ℥ij.*

I N A U G U R A L I S. 11

*vite Math. ℥℞.*

*Sp. Carm. Sylv.*

*Ocul. Cancr. Pulv.*


*Corn. C. ussi & preparat. an. gr. xxv.*

*Sal. Absinth. ℞j.*

*Ol. Cinnamom. gutt. iij.*

*Syrp. Stachad. ℥ij.*

Diæta sit mediocris fugiantur animi pathemata vescatur æger cibus  
facilioris concoctionis, capiat subindè haustum vini generosio-  
ris, ut & condita ut zinziber conditum cortices pamorum chi-  
næ, utatur subinde oleo aromatico ut exempli gratia ol. ma-  
cis, chariophyllor. &c. Corporis exagitatio mediocris maxime  
prodest, fugiat mærorem & solitudinem.



C O

# COROLLARIA.

I.

*Quantitas sanguis copiosa non producit morbum.*

II.

*Datur contiguitas omnium humorum.*

III.

*Dantur Medicamenta specifica, non vero elective Purgantia.*

IV.

*Omnis Nutritio non fit per nervos.*

V.

*Succus nervorum non omnium existit causa morborum.*

F I N I S.